

lationibus suum perhibet testimonium epist. 86. ad Episcopos provincie Viennensis: Nimirum consilio maturiore corrigere, & vestrarum Ecclesiarum statum communicato vobis labor componere; non nova instituentis, sed vetera renovantes: ut in statu consuetudine, quae nobis a nostris patribus est tradita, perducimus; & DEO nostro, per boni operis ministerium, remotis perturbationum scandalis, placemus. Nobiscum itaque vestra fraternitas cognoscat Apostolicam sedem pro sui reverentia a vestra etiam provincia sacerdotibus innumeris relationibus esse consultam, & per diversarum, quemadmodum veteris consuetudo posebat, appellationem causarum aut retractata aut confirmata fuisse iudicia.

7. Can. IV. Gaudens Episcopus dixit: Si viderur necesse esse ad hanc sententiam, quam sincera dilectione plenam protulisti, ut si quis Episcopus fuerit depositus iudicio Episcoporum, qui sunt in vicinia, & deat rursus sibi defensionis negotium competere, non prius in Cathedrali alius substituat, quam Romanus Episcopus causa cognita sententiam tulerit.

Prudens necessariae admonitio propter violatum jus ab Arianis, qui deposito a seipis Athanasio & ad Julium Papam appellanti, Gregorium Cappadocem suffecerit. Legitimus etiam interiectæ appellations effectus est suspensio iudicium anterioris, & devolutio ad iudicium superioris tribunalis, l. unica, ff. nihil novari appellat. Interpo. & cap. ad hanc, & cap. proposuit, de appellat.

8. Can. V. Osius Episcopus dixit: Et hoc placuit, ut si Episcopus accusatus fuerit, & omnes iudicaverint congregati Episcopi regionis ipsius, & de gradu suo eum deiecerint; si appellaverit qui deiectus videtur, & confugerit ad beatissimum Romanum Episcopum, & voluerit se audiri, si iustum putaverit ut renovetur examen, scribere his Episcopis dignetur Episcopus Romanus, qui in summa & propinqua altera provincia sunt, ut ipsi diligenter omnia requirant, & iuxta fidem veritatis definiant. Quod si is, qui rogat causam suam iterum audiri, deprecatione sua moverit Episcopum Romanum, ut de latere suo Presbyteros mittat, erit in potestate quid velit, & quid astringat. Si decreverit mittendos esse, qui cum Episcopis presentes iudicent, ut habeant etiam auctoritatem illius persona, a qua desinat sunt, erit in eius arbitrio. Si vero crediderit sufficere, ut Episcopi comprovinciales negotio terminum imponant, faciet quod sapientissimo consilio suo iudicaverit. Canon iste, qui in editione Graeca notatur quintus, in editionibus Dionysiana & Isidoriana collocatur septimus.

Sapientia providaque desinatione sancitum fuerat a Sardinensibus Patribus can. 3. Si inter duos Episcopos lis aliqua subnascat, a neutro litigantium posse ullos alterius provincie Episcopos in causis cognitionem evocari. Nec enim in causis alterius provincie isti ullam iurisdictionem habent, neque litigantes eam illis conferre queant; nisi per compromissum in eos ut in Arbitros convenient; Par enim (ut monet Innocentius Papa III.) in parem non habet imperium, cap. innotuit, de elect. Quia vero Apostolica potestas in omnem diffunditur Ecclesiam, eique omnis subicitur Episcopus; ideoque statuitur can. 5. Sardienfes Patres, quorumlibet Episcoporum causas dirimi a Romano Episcopo posse, mittente cognitores provinciales sive ex latere suo, sive illos ex provinciis, & ut dicunt, ex paribus eligente ac delegante, prout satis duxit.

Can. VI. Licentia vero danda non est ordinandi Episcopum aut in vico aliquo, aut in civitate modica, cui sufficit unus Presbyter; quia non est necesse ibi Episcopum fieri, ne vilescat nomen Episcopi & auctoritas.

Hoc idem statuitur in Concilio Laodicensi can. 75. quem inferius require. Eodem spectat apud Gratianum distinctio 80. per totam.

Gravis & illustris circa novorum Episcopatum erectionem questio ventilatur, sive in iamdudum constituta provincia Ecclesiastica, sive in locis noviter ad Christi fidem conversis. Et in provinciis quidem iam in Ecclesia constitutis nihil aliud olim ad novos constituendos Episcopos requirebatur quam Metropolitanis, aut Synodi provincialis decretum, simulque Episcopi suffraganei consensus, de cuius territorio novus subducendus erat Episcopatus. Neque tunc requirebatur ullus fide Romanus Episcopi, sive Imperatoris Regive consensus. Hac via Basilium Magnus, postquam Valentinianus Imperator Arianus Cappadociam in duas civiles provincias distinxerat, novamque in secunda Cappadocia Metropolim crexerat Tyanam; ut sua provin-

cia diminutionem Caesariensis Metropolita Basilium utcunque relateret, Sazimorum Ecclesiam erexit in Cathedrali seu Episcopalem, quam Gregorio Nazianzeno regendam contulit, invito licet multumque repugnanti & reluctanti. Augustinus pariter Hipponensis Episcopus, consentiente Numidia Primate, Fussalam de proprii Episcopatus territorio detraxit, fecitque seorsum Episcopalem recenti constituto in ea Praefule Antonio; quam rem a se ita gestam postmodum idem scripsit Augustinus epist. 261. ad Caesarium Romanum Pontificem, dolenter illi recensens insolentes excessus novi Episcopi ex recenti dignitate in superbiam elati. Joannes pariter Chrysostrmus Wilam orthodoxum Gothis praefecerat Episcopum, ut gentem illam in Arianismum prolapsam in fidem Nicenam reduceret; quod a se factum ipsemet scribit epist. 123. ad Olympiadem. Celebre est, quod de Athanasio Alexandriae Antifite referunt Rufinus & Socrates, consecratum fuisse ab illo Frumentium, ut esset Indorum Episcopus, tamen Alexandrino Episcopo Nicæna Synodus limites intra Aegyptum, Libyam, & Pentapolim praefisset. Pantannum quoque ab Alexandria Episcopo ad praedicandum Indis Evangelium fuisse jam antea directum, fidem faciunt Eusebius & Hieronymus. Postquam Basilium Juliani Apostatae rescripto in Civitatis honorem erecta fuit, non distulit Nicæna Synodus, de cuius praecia erat nova civitas, novum illi asserere & sacras Praefulem. His similia occurrant Veterum exempla.

Verumtamen septimo excurrente saeculo, ceperunt tum Romae Pontifices, tum gentium Reges intervenire ad novorum Episcopatum erectiones: idque jus in hunc usque diem propagatum est. Gregorius Papa II. Bonifacium Apostolicæ virtutis virum in vastissimas Germaniae regiones transmisit: quem Apostolicæ potestatis ad praedicandum, novaque fundandas Ecclesias, deque iis ad nutum disponendis consortem fecit. Eaque de re Carolus Martellum Francia gentis Principem admonuit, enixe rogans, ut Bonifacium suo tueatur protegetque patrocinio. Id vero beneficium invictissimus Carolus cumulate praestitit. Bonifacium Baioarum postmodum adventans, Obtilone duce aliofque Principibus mirifice approbantibus, ad precedentem, quem reperit, religionis Episcopatum tres novos adiunxit; tunc enim erecta recens Ecclesie Cathedralis quaternarium numerum complere, Salisburgensis, Erlingensis, Ratisbonensis, & Passaviensis. Accesserunt reliqui his temporibus Apostolici Prædicatores, a quibus propagata feliciter gentium Aquilonarium conversio est. Villebrodus, Svibertus Corbiniensis, atque ante hos in Anglia Augustinus Gregorii Papæ I. Apostolicus Legatus, qui plerisque in ea insula recentis Episcopatus erexit. Quin etiam Gregorius Turonensis lib. 1. hist. cap. 3. & de glori. Confect. cap. 3. fundatores Gallicanarum Ecclesiarum ex Romana Sede transmisit ad praedicandum effratris gentibus Christi fidem, enumerat Saturninum Tolofatibus, Gratianum Turonibus, Trophimum Arelatensibus, Paulum Narbonensibus, Dionysium Parisiensibus, Alermonium Arvernis, Martialem Lemovicenibus; hos omnes Romana Sedes huc ad praedicandum transmisit, non uno, sed diversis, ut creditur est, temporibus. Hac, aliaque permulta Ludovicus Tomassinus, Congregationis Oratorii Gallicani illibatam decus, ingenii admirabilis inexhausta fecunditate congestit in sua illa Disciplinae veteris atque recentis Ecclesie doctissima lucubratione.

9. Can. VII. Editionis Graecæ, qui est VIII. Dionysianæ & Isidorianæ. Osius Episcopus dixit: Importunitates, & nimia frequentia, & injuste petitiones fecerunt nos non tantum habere gratiam vel fiduciam, dum quidam Episcopi non cessant ad Comitatum ire, & maximo Afri, qui sicut cognovimus, sanctissimi fratris & coepiscopi nostri Grati salutaris consilia sperant atque continent; ut non solum ad Comitatum multas & diversas Ecclesie non profuturas causas perferant, neque ut fieri solet & oportet, ut pauperibus, aut viduis, aut pupillis subveniant, sed ut dignitates & administrationes seculares quibusdam postulant. Hac itaque privata olim non solum murmuraciones, sed & scandala excitant. Honestum est autem, ut Episcopi intercessionem his praestent, qui iniqua vi opprimuntur, aut si vidua affligatur, aut pupillus expolietur; si tamen ista nomina iustam habeant causam aut petitionem. Si ergo vobis fratres charissimi placet, decernite, ne Episcopi ad Comitatum accedant, nisi forte hi, qui religiosi Imperatoris litteris invitati, vel evocati fuerint. Sed quoniam saepe contingit, ut ad misericordiam Ecclesie confugiant, qui injuriam patiuntur, aut qui peccantes in exilio vel in iustis damnantur, aut certe quancunque sententiam accipiunt: subveniendum est his, & sine dubitatione petenda indulgentia. Hoc

Hoc ergo decernite, si vobis placet. Universi dixerunt: Placet, & constituatur.

Insequentes canones eodem spectant. Sanciunt enim ne quis Episcopus eat in Comitatum seu Principis aulam, nisi ab ipso Principe accersitus: cuius litteras hæc Synodus exhiberi vult aut Metropolitanis, aut Synodo provinciali, a quibus etiam tenetur Episcopus litteras commendatitias referre. Quod si Romæ veteretur Imperator, ne quis Episcopus extraneus ei supplices libellos offerat nisi prius lectos & approbatos ab Antifite Romano. Cum Episcopis has leges transgredientibus omnis interdictur communicatio. Sancit quoque ut Episcopi civitatum, qui in canali sunt, accedentes in aulam, Episcopos admoneant, ut ex ipso loco Diaconum suum ad Principem mittant, ipse vero extraneus Episcopus in suam se paræciam recipiat. Sed si hic refractetur, non est a ceteris Episcopis in communione recipiendus: quin potius servata iudiciorum forma dignitate spoliandus. Episcopi porro, qui in canali dicuntur constituti, illi sunt qui sedes habent in cursu publico, via nimirum qua publici equi per stationes ad iter agendum positi erant, ut docet l. 15. Cod. Theod. de causa publica. Mirifice Chrysostrmus homil. 57. in Gene. invehitur in Prælatos cupiditatibus secularibus addictos, siveque pastoralis officii negligentem: ubi observans quanta sollicitudine, nequa laborum die nocteque assidue, quantis proprii corporis incommodis Jacob gregem foci sui Labani curaverit, Gen. 31. commouit quam deploranda, & divinæ ultionis asperitate vindicanda sit Prælatorum circa sibi commissam a Deo gregem; non peccudum, sed animarum Christi sanguine redemptarum incuria, & neglectus, pro quarum salute ille ineffabili caritate mortem crucis oppetit. Sapienter admonet Apollinaris Sidorius lib. 7. epist. 6. Hofis antiquus quo facilius insulset balatibus ovium destitutarum, prius dormitanti incipit cervicibus inharere Pastorum. Inconsculum pariter est istud Magni Gregorii Papæ oraculum: Non potest esse Pastoris excusatio, si lupus oves comedit, & pastor nescit. De Evonio Apolloniate refert Herodotus lib. 9. cum ei sacrum Solis ovium custodia commissa esset, illeque noctu obdormisset, lupique caulam ingressi sexaginta oves sacras jugulassent; Apolloniatas communi iudicio utrumque oculos Evonio eruifit. Quam vero gravior pœna & ultio sacrum animarum Praefectis imminet, si horum incuria vel neglectu tartarorum luporum dentibus lacerentur ipsæ & intereant? Quibus Deus per Ezechielum c. 34. hæc severe comminatur: *Vae Pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos! Nonne greges a pastoribus pascentur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini: & quod crassum erat, occidebatis, gregem autem meum non pascebatis: quod infirmum fuit, non consolidastis, & quod ærotum, non sanastis: quod contractum est, non alligastis, & quod abiectum est, non redaxistis, & quod perierat, non quaesistis: sed cum austeritate imperabatis & cum potentia: Et dispersa sunt oves mee, &c.*

10. Can. X. Graecæ editionis; sed Dionysianæ & Isidorianæ XIII. Osius Episcopus dixit: Hoc quoque necessarium existimo, ut cum omni cura & diligentia examinetur: ut si quis ex foro sive dives, sive scholasticus Episcopus fieri dignus habeatur, non prius constitatur quam Lectoris, & Diaconi, & Presbyteri ministerium peregerit in unoquoque gradu; ut si dignus existimatus fuerit, ad Episcopatum suscipi per progressionem possit ascendere. Habebit autem uniuscujusque ordinis gradus, non minimi scilicet temporis longitudo, per quod & fides, & morum integritas, & constantia, & moderatio possit cognosci, & ipse divino Sacerdotio dignus existimatus maximum honorem assequatur. Neque enim convenit, neque scientia & bona conversatio hoc recipit, ut temere & leviter ad id accederet, ut Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus prompse ac facile constitutur. Sic enim merito neophytus existimetur. Quandoquidem & Beatissimus Apostolus, qui fuit etiam Doctor gentium, prohibuisse videtur, ne celeres fiant ordinationes. Longissimi enim temporis probatio & conversationem, & cuiusque mores non improbabilius exprimere poterit. Omnes dixerunt ipsis placere, & omnino non oportere ea subverti.

Notatu dignus canon circa ordinationum interstitia. Concilium Carthaginense tertium anni 397. canonibus 4. & 5. vetat ante viginti quinque annos Diaconum ordinari, Virginemque consecrari. Hoc ipsum confirmat anno Christi 506. Concilium Agathense can. 16. quod deinde can. 17. praefigit annum 30. ordinationis Sacerdotum, atque Episcoporum. Et legitur in Decreto, distinct. 77. capit. Episcopus benedictionem Arelatense quartum anni 524. can. 1. Diaconi ordinationem Cæsaritii, Notitia Ecclesiastica.

fieri ante completum annum etatis vigesimum quintum, Sacerdotis vero ante trigessimam pariter completum prohibet. Postmodum Toletanum secundum can. 1. indulget, ut possit quis Subdiaconatum suscipere anno vigesimo, sed Diaconatum non ante vigesimum quintum plane exactum. Id coactum Concilium fuit anno 531. His succedens Vormatiense anno 868. can. 69. annos praescribit viginti quinque Diaconorum ordinationi. Clemens Papa V. Clem. ultima, de etat. & qualitat. assignat annum decimum octavum ad Subdiaconatum, Diaconorum consecrationi vigesimum, Sacerdotio vigesimum quintum. Novissime Concilium Tridentinum sess. 23. cap. 12. ita sancit: *Nullus in posterum ad Subdiaconatus Ordinem ante vigesimum secundum, ad Diaconatus ante vigesimum tertium, ad Presbyteratus ante vigesimum quintum etatis sua annum promoveatur.* Si plura quis expetat, perleget Gratiani distinctiones 28. & 77. Jure antiquo poterat quis jam usque ab ipsa infantia in Clericum initiari; atque Clericali militia adscribi; ut constat ex epist. 1. cap. 3. Zosimi Papæ ad Elychium, & ex cap. in singulis, dist. 77. & ex Concilio Toletano secundo, can. 1. cap. de iis, dist. 28. Infantia vero non computatur ultra septennium exactum, l. si infanti, Cod. de iure delib. Ex quo inferit gloss. in d. cap. de iis, posse infantem septennem tonsurari, & ad simplex beneficium promoveri. Quo iure hæctenus usa est Gallia, exceptis canonicibus. Sed Concilium Tridentinum sess. 23. de reform. c. 6. vetat conferti ullum beneficium, qualecumque sit, aut suscipi ante decimumquartum annum.

11. Canon editionis Graecæ XIII. Dionysianæ autem & Isidorianæ XVI. Osius Episcopus dixit: Hoc quoque omnibus placeat, ut si Diaconus, vel Presbyter, vel etiam ex Ecclesiasticis aliquis sit excommunicatus, & ad divina Episcopum, qui eum novit, confugerit, scientem eum a proprio Episcopo communione motum, non oportere Episcopo & fratri suo injuriam facientem ei communionem præbere. Sin autem hoc facere ausus fuerit, sciat, cum convenerint Episcopi, seipsum causam esse dicturum. Omnes Episcopi dixerunt: Hoc iudicium & pacem usque custodiet, & omnium concordiam incutitur. Vide superius can. V. Nicænae Synodi, tum scholiis nostris.

12. Can. XI. Graecæ editionis; sed Dionysianæ atque Isidorianæ XIV. Osius Episcopus dixit: Et hoc quoque statueri debetis, ut Episcopus, si ex alia civitate convenit ad aliam civitatem, vel ex Provincia sua ad aliam Provinciam, & ambitioni magis quam devotioni serviens, voluerit in aliena civitate multo tempore residere; Forte enim evenit, Episcopum loci non esse tam instructum, neque tam doctum; is vero qui adventit, incipiat contemneri eum, & frequenter facere sermonem, ut debonestet & infirmet illius personam, ita ut ex hac occasione non dubitet relinquere assignatam sibi Ecclesiam, & transeat ad alienam. Definire ergo tempus, quia & non recipi Episcopum inhumatum est, & si diutius residet in alieno, perniciosum. Hoc ne fiat, providendum est. Memini autem superiore Concilio fratres nostros constituisse, ut si laicus in ea, in qua commoratur, civitate tres Dominicos dies, id est, tres septimanas non celebrasset conventum, communione privaretur. Si ergo hac circa laicos constituta sunt, multo magis Episcopum nec decet, nec licet, si nulla sit tam gravis necessitas, qua detineat, ut amplius a supra scripto tempore absens sit ab Ecclesia sua Universi; dixerunt placere sibi.

Concilium illud canone isto commemoratum est Illiberitanum, cui idem ipse qui loquitur Osius, interfuit. Hoc enim de laicis constituit Illiberitanum can. 21. Mens ergo Patrum Sardicensium est, ne citra urgentem necessitatem Episcopos extra Paræciam suam tres integras septimanas exigat. Laicos etiam, qui data opera tribus Dominicis a Parochiali Ecclesia abstant, Concilium Ravennense, cui Joannes Papa VIII. praesedit, privat communione.

13. Canon in Graeco XV. in aliis editionibus XIX. Osius Episcopus dixit: Hoc quoque omnes definiamus, ut si quis Episcopus ex alia paræcia velit alienum ministerium sine consensu proprii Episcopi ordinare, irrita & inanis huiusmodi ordinatio existimetur; Si qui autem hoc sibi ipsis permiserint, a fratribus & Coepiscopis admoneri & corrigi debent. Omnes dixerunt: Hoc quoque decretum stet firmum & immobile.

Vide similem can. Nicenum 17. & Antioch. 13. & 22. atque inibi a nobis observatos similes alios canones.

14. Canon in Graeco XVI. alibi XX. Actus Episcopus dixit: Non ignoratis, qualis quantaque sit Thesalonicensium